Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

phani. ut quisque eorum quoscumque infantes paganos in sua domo
haberet vel in proximorum suorum adduceret ad beatum Stephanum ut bap-
tizarentur. Iussit itaque beatus Stephanus ut altera die in crypta
Nepotiana omnes congregarentur. Et facto conventiculo in eadem cryp-
ta inventi sunt promiscui sexus viri ac mulieres numero .c.
viii. qui eadem die in nomine domini nostri Ihesu Christi sacri baptis-
misterio consecuti. et obtulit pro eorum illuminatione sacrificium
atque eo participati sunt. Altera autem die ordinavit idem beatus
Stephanus episcopus tres presbiteros et vii diaconos clericos
xvi. sedensque docebat omnes de regno Christi et vita eterna.
Tunc ceperunt ad eum multi ex paganis occurrere ut au-
dirent verbum eius et baptizarentur ab eo. Interea dum hec age-
rentur veniens quidam tribunus militum nomine Nemesius qui habe-
bat filiam unicam que a cunabulis ipsis apertos habebat
oculos et lumen non videbat. Prostravit se Nemesius ad pe-
des beati Stephani episcopi dicens. Obsecro te domine mi papa bap-
tiza me cum hac filia mea. et ut illa illuminetur et nostras
animas eruas de tenebris sempiternis. quia nunc usque in af-
flictione pro cecitate filie mee fui. Beatus Stephanus dixit. Si cre-
dideris ex toto corde tuo. omnia tibi credenti ministrantur.
Nemesius dixit. Ego usque adhuc ex toto corde credidi. et
credo quia unus dominus Ihesus Christus ipse deus est. qui aperuit oculos
ceci nati. ut non invitus hominum persuasione. sed eius voca-
tione ad tuam venerim sanctitatem. Et statim eadem die beatus Ste-
phanus episcopus urbis Rome duxit eum in titulum pastoris. Eumque
cathezizavit eum ac filiam eius secundum consuetudinem christianorum.
Indixit ieiunium usque ad vesperam. hora autem appropinquante
iam vespertina. benedixit fontem in titulo super scripto. depositumque
Nemesium in aqua dicens. In nomine patris et filii et spiritus sancti baptizo te.
Credis in deum patrem omnipotentem. Respondit credo. Et in Ihesum Christum inquit
dominum nostrum. Respondit credo. Remissionemque peccatorum. Respondit credo.
Carnis resurrectionem. Respondit credo domine. Cum levaretur de aqua
cepit clamare filia eius. Ecce inquit video hominem qui tetigit
oculos meos et lumen splendidum circa eum. Tunc baptizavit
filiam eius nomine Lucillam. quam ipse de fonte levavit. Ceperunt
que multi ad vestigia beati Stephani prosternere se. et cum lacrimis
flagitare ab eo ut baptizarentur. Baptizatique sunt in ea-
dem die qua Lucilla illuminata est promiscui sexus numero lxv.

et exinde multi ceperunt divina procurante gratia oc-
currere beato Stephano ex gentilibus honesti viri. ut
baptizarentur ab eo. Beatus ergo Stephanus repletus gratia et
spiritu sancto. cepit missas atque concilia per criptas martirum cele-
brare. Nemesium quoque Lucille patrem fecit diaconem. Tunc
Valerianus comperto quod Nemesius tribunus cum omni domo sua
credidisset Christo domino et baptizatus fuisset. atque illumi-
nata eius filia cecitate depulsa. retulit ad Gallienum
et Maximum consules. Initoque consilio hoc decreverunt. ut
ubicumque repertus fuisset Nemesius sine audientia puni-
retur. Nemesius autem Christi gratia roboratus circuibat criptas et con-
cilia martirum. ut ubicumque repperisset christianum egentem pro ut po-
terat et habebat de suis facultatibus erogaret. Veni-
ens autem sanctus Nemesius quadam die in via Appia noctis
silentio iuxta templum Martis comperit Valerianum et
Maximum iuxta suum ritum sacrificare demoniis. Videns
hoc sanctus Nemesius diaconus flexis genibus oravit dicens.
Domine deus creator celi et terre. dissipa consilia artis diabo-
lice in nomine Ihesu Christi filii tui. quem misisti in hunc mun-
dum. contere Sathanan ut resipiscant hii infelices de
laqueis eius. ut derelinquant idola manufacta. et te dominum cre-
atorem patrem omnipotentem et Ihesum Christum filium tuum cognoscant.
Statim ergo Maximus a demonio arreptus est. et magna vo-
ce clamavit. Nemesius christianus me incendit. ecce eius oratio
me affligit. Eademque hora egressi de templo. tenuerunt
Nemesium. Cumque tenerent eum et contumeliis affligerent. su-
bito Maximus consul expiravit. At illi tenentes Nemesium
duxerunt ad Valerianum in palacium Claudii. Qui dum presen-
tatus esset aspectibus eius. dixit ei. Nemesi ubi est prudencia
tua quam semper cognovimus in consiliis. et actibus roboratam.
Nunquid nos non scimus quid sit melius. quid deterius. tamen quod est uti-
lius est nos ad hoc hortamur. ut cognita veritate non dese-
ras deos. quos semper ab ipsis cunabulis adorasti et co-
luisti. Nemesius diaconus cum lacrimis dixit. Ego quidem pec-
cator et infelix semper deservivi vanitati. et effudi sangui-
nem innocentem. et nimis oneratus atque cumulatus pec-
catis. Christi filii dei misericordiam adeptus. cognovi iam creatorem meum.
licet sero dominum celi et terre. et Ihesum Christum filium eius. in cuius